



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

65. An Summus Pontifex possit habere invalidas collationes minorum  
Ordinum factas ab Episcopis excommunicatis, suspensi, &c? Et quid,  
quoad collationem primae Tonsuræ? Et explanatur, quod episcopus ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76359)



docet Turianus in summa part. 2. cap. 80. dub. 2. Præceptis in 3. part. de sacr. Ordin. quest. vni. in dub. 16. num. 163. Ochagavia de sacr. Ord. tract. unico. quest. 9. num. 3. Auera de sacr. Ordin. quest. 3. sect. 5. Tannerus tom. 4. disp. 7. q. 3. dub. 1. n. 10. & alij.

Sed rotemus ad potestatem Summi Pontificis.

RESOL. LXIII.

An Pontifex possit solo verbo Sacerdotes creare? Et simili modo queritur, an Pontifex solo verbo possit quem in Episcopum creare. Et an Papa possit tollere ab Episcopis facultatem valide confirmandi, & ordinandi: ita ut si ille tenet aliquem ordinare, aut confirmare, nihil efficiat? Ex part. 8. tr. 1. Ref. 28.

Sup. conten- to in hoc. & §ibus seq. §§ in tom. 4. tr. 8. Ref. 26.

Sup. hoc in Ref. not. præ teritæ. **V**T si dicat, v. g. alicui, esto Sacerdos. An per ista verba promotus fiat verè Sacerdos, & recipiat potestatem offerendi Missæ sacrificium, & remittendi peccata. In qua controversia partem affirmantem tucetur Angelus, quem refert, & sequitur, Felinus in cap. 1. de constit. num. 23. Decius ibidem, lect. 1. num. 50. Ruffeus in praxi benesior. tit. de Cler. à quibus, & quomodo creentur, num. 9. & 10. quibus consentiunt Hieronymus Gigas tract. de pensionibus q. 8. Franciscus Victoria de sacr. Ordin. q. 5. Simili modo posse Pontificem solo verbo quem in Episcopum creare licet hoc non solet, sustinet idem Angelus relatus ab eodem Rebuffo. tit. de Clericis ad sacros Ordines malè promotis, num. 11.

2. Fundamentum huius sententiæ præcipuum illud est: quia Summus Pontifex introduxit formam huius Ordinis sacerdotalis, & Episcopalis, cuius tenor non extat in Evangelio: ergo illam potest abrogare, & aliam ad beneplacitum suum constituere. Verùm hoc fundamentum inane est: quia utraque forma, saltem implicite in Evangelio continetur. Prior quidem in illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, quibus verbis Christus Apostolo constituit Sacerdotes, & dedit illis potestatem offerendi Missæ sacrificium pro viuis, & defunctis. Secunda expressa est in Evangelio, Ioan. 20. Quorum remisistis peccata, &c. 3. Quamobrem opposita sententiæ communis est inter Theologos, quam post alios tradit Cosinus Philarchus de officio Sacerdotis, part. 2. lib. 1. c. 14. per totum, quæ primò probatur ex eo, quia Pontifex non habet potestatem immutandi ius divinum, nec alternandi materias, aut formas Sacramentorum nobis à Christo determinatè relictas; quia inferior non habet potestatem abrogandi legem superioris: sed Christus nobis reliquit formam illam, Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remisistis, &c.

4. Deinde eadem Felini, & aliorum sequacium opinio reprobat ex eo, quia vnaquæque forma Sacramenti debet expressè significare effectum, quem realiter efficit; sed per illa verba: Esto Sacerdos, non expressè significatur potestas consociendi corpus Christi, & remittendi peccata: ergo. Confirmatur: sicut enim si Pontifex alicui non baptizato diceret: Esto Christianus, ista per verba non tolleret peccatum originale, nec illi verum Baptisum impertiret; ita similiter per illa verba: Esto Sacerdos, Pontifex Sacerdotem non ordinaret, nec potestatem consociendi corpus Christi, & remittendi peccata illi tribueret.

Sup. hoc in

5. Notandum est etiam hinc obiter quod Panormi-

tanus, Innocentius, & alij in cap. quando, de consuetudine, asserunt posse Papam tollere ab Episcopo facultatem valide confirmandi, & ordinandi: ita ut ille postea tenet aliquem confirmare, aut ordinare, nihil efficiat. Verùm, ut rectè dixit Sotus in 4. dist. 13. q. 1. art. 8. quoties simplices iuris Canonici Doctores, qui Theologiæ operam non nauarunt, volunt de diuino iure ratiocinari, toties errarunt. Nam licet Christus potuisset Episcopalem potestatem, nec non sacerdotalem ita instituire, ut quoties Episcopus, vel simplex Sacerdos, vel quicumque alius Clericus fuisset labe peccati maculatus, aut excommunicatione, aut alia censura innodatus, vel degradatus, vel hæresi infectus, Deus non amplius Ordinis characterem conferuaret, atque ita tales ministri potestatem Ordinis amitterent; nihilominus de facto non ita hoc Sacramentum fuisse à Christo institutum, sacrae Paginæ Summi Pontificis, & Generalia Concilia non obscure tradiderunt, sed de hac difficultate iterum redibit sermo.

terum Ref. seq.

RESOL. LXIV.

An Pontifex possit tollere potestatem Episcopis circa Sacramentalia.

Et discutitur, an minores Ordines, & Subdiaconatus sint solum Sacramentalia, & non Sacramenta, & ideo possit Pontifex ab Episcopo auferre potestatem conferendi Subdiaconatum, & minores Ordines? Ex part. 8. tr. 1. Ref. 29.

§. 1. **A**D hoc dubium sic respondet Marchinus de sacr. Ordin. tract. 1. part. 2. c. 18. num. 19. Colligo posse Pontificem tollere ab Episcopo eam potestatem, quam habet circa Sacramentalia, ut circa consecrationem Calicis, Altarium, Virginum, circa vestimentorum sacerdotalem benedictiones, &c. ita ut post prohibitionem, si Episcopus aliquid horum tentaret, nihil faceret. Ratio est: quia hæc potestas Episcopi circa Sacramentalia, iure humano potius, quam diuino illi concessa videtur. Et ita sentit Alphonsus à Castro lib. 2. de iusta hæreticorum punitione, cap. 2. Didacus Couarruias variarum resolutionum cap. 10. num. 8. Quare si minores Ordines, & Subdiaconatus sunt solum Sacramentalia, non Sacramenta, ut multis placet, posset Pontifex ab Episcopo auferre potestatem conferendi Subdiaconatum, & minores Ordines. Sed quia hoc consequens inconueniens in Dei Ecclesia sanè videtur, ideo vnum horum dicendum est: vel quòd Subdiaconatus, & minores Ordines sint vera Sacramenta, non Sacramentalia: vel iure diuino conuenire Episcopo potestatem circa Sacramentalia, ac proinde à Papa auferri non posse.

Sup. hoc lege doctorem 6. vlt. Ref. præ teritæ. & 4. Ref. seq. ad lim. 10. & aliorum Ref. citi §. 2.

RESOL. LXIV.

An Summus Pontifex possit habere inuálidas collationes minorum Ordinum factas ab Episcopis excommunicatis, suspensis, &c.

Et quid quoad collationem primæ Tonsuræ?

Et explanatur, quòd Episcopus hæreticus, schismaticus, aut degradatus valide possit ordines conferre.

Et an ordines minores sint Sacramenta?

Et quid de Tonsura? Ex part. 8. tr. 1. Ref. 41.

§. 1. **S**uppono Episcopum hæreticum, schismaticum, excommunicatum, aut degradatum, quòd sit valide

Sup. hoc. & in



validè posse Ordines conferre. Hæc conclusio non solum est contra hæreticos; sed etiam contra nonnullos iuris canonici Professores, inter quos est Ioannes in cap. accedens, distincti. 50. glossa ibidem, & in cap. degradatio, de panis in 6. qui dicunt, quæcumque Clericum degradatum Ordinis characterem amittere. Ad eandem sententiam accedunt Panormitanus, Innocentius, & alij in cap. quanto, de consuetud. Probatur ex Urbano II. ut refertur in cap. Diversum, 1. quasi. 4. ubi, cum ad ipsum fuisset relatum, quendam Diaconum fuisset ab hæretico Episcopo ordinatum, primò, illi Ordinis usum interdixit: deinde exigente Ecclesiæ necessitate ad eundem eiusdem Diaconatus usum admisit, his verbis: Utilitatis Ecclesiæ pro viribus insudantes, ex integro, Ecclesiæ necessitate ingroente, constituimus. Per quod verbum, constitutus, licet nonnulli intelligant novam ordinationem, tamen sine dubio errant, quia Pontifex non potest absentem ordinare: ait Diaconus ille erat absens; ergo dum Pontifex dicit: Ex integro constituimus. Idem est, ac si dixisset: Suspensionem tollimus, ac vt talem Ordinem exercere possit, facultatem concedimus. Quem sensum manifestè indicant sequentia verba. quòd non reiterationem cultum censemus, sed tantum integram Diaconij dationem. Quod etiam clarè patet ex Concilio Constantiensi sess. 8. & 15. ex Concilio Arelateni cap. 12. ex Africano cap. 19. & ex Tridentino sess. 7. can. 12. ubi sic asseritur. Si quis dixerit, ministrum in mortali existentem, modò omnia essentialia, quæ ad Sacramentum consociendum, vel conferendum pertinent, seruauerit, non consecrere, aut consecrere Sacramentum, anathema sit. Vbi, etsi Concilium loquatur solum de ministro existente in mortali, tamen militante eadem ratione extenditur ad ministrum hæreticum, excommunicatum, & degradatum: sicut enim non pollicetur Sacramentum per ministrum prauitatem, ita non inuadatur per quæcumque eiusdem hæresim, excommunicationem, vel degradationem: præsertim cum omnis hæreticus, & ab Ecclesia præcisus, in mortali maneat: sed quicumque minister manens in mortali, potest ex Concilio Sacramenta validè consecrere: ergo etiam Episcopus quocumque modo sit ab Ecclesia præcisus, validè poterit Ordines conferre.

2. Hoc supposito, ad dubium propositum respondeo cum Præposito in 3. part. de sacram. Ordinibus, quasi. unica, dub. 12. n. 114. Vasquez disp. 243. c. 1. & 2. & alij, quòd Ordines, qui non sunt Sacramenta, nec sunt à Deo instituta, sed ab Ecclesia, potest eadem irritare, & habere inuadim illorum collationem factam ab hæretico, excommunicato, &c. quemadmodum è contratio posset censere validam factam à simplici Sacerdote, Itaque deciso casu præsentis quæstionis pendet ex illa difficultate, an Ordines minores sint Sacramenta; qui affirmant, consequenter dicunt Ecclesiam non posse habere irritas eorum collationes factas ab Episcopis suspensis, hæreticis, &c. Assumant verò Ordines minores esse Sacramenta D. Thomas in 4. dist. 24. q. 2. art. 1. q. 3. Bonaventurà art. 1. quasi. 1. Richardus art. 3. quasi. 3. Valentia disp. 9. quasi. 1. part. 4. Couarruias 1. resolutionum. cap. 10. Agidius disp. 20. numer. 47. Adamus disp. 7. quasi. 2. dub. 2. Sebastianus Cæsar quasi. 4. s. 1. & plures alij quod satis insinuat Eugenius IV. in suo Decreto, dum, postquam definiuit Ordinem esse Sacramentum, & materiam illius esse illud per cuius traditionem confertur Ordo, & assignauit materiam Presbyteratus, Diaconatus, & Subdia-

conatus, addit, & similiter de alijs per rerum ad sua ministeria pertinentium assignationem; quo abique dubio supponit etiam minores ordines esse Sacramentum. Et id etiam indicat Tridentinorum sess. 23. cap. 2. & 3. & can. 3. quia postquam cap. 2. enumerat dichos septem Ordines maiores, & minores, postea cap. 3. & can. 3. absolute, & absque vlla limitatione ordinationem appellat sacram, & definit esse Sacramentum, ac proinde appellat sacram non in eo sensu, in quo Ordines maiores dicuntur facti, sed quia est Sacramentum.

3. Verum qui negant ordinationes minores esse Sacramenta, affirmant etiam posse Ecclesiam inuadidas eorum collationes decernere. Negant verò Ordines minores esse Sacramenta Magister in 4. dist. 14. Sotus quasi. 1. art. 4. Guazarus in Decreto, dist. 21. Valquez d. sp. 237. cap. 2. Medina lib. 1. de continentia, cap. 46. & plures alij: quia non fuerunt à Christo instituti; quia in primitiua Ecclesia non fuerunt ordines quatuor minores Ordines, quia Acolythatus nulla sit mentio vsque ad Cyprianum, & Cornelium, qui ducuntis & quinquaginta annis post Christum vixerunt: & quamuis Exorcistatus fuerit in primitiua Ecclesia, cuius mentionem faciunt Clemens, & Ignatius, tunc tamen non fuit Ordo: quia vt affirmat Clemens lib. 8. Institut. cap. 26. alias 22. non fiebat ordinatione, & ab Episcopo, & illum reducit ad gratiam sanitarum. Ergo, &c.

4. Sed quicquid sit de hac quæstione, quam ex vtraque parte probabilem esse puto, certum est, Ecclesiam, vt obseruat Auerfa de sacram. Ordinibus, quasi. 3. sect. 2. de facto non irritasse Ordines minores collatos ab Episcopis excommunicatis, suspensis, &c. vt etiam fatetur Vasquez ubi supra: quod quidem, ex Auerfa posset aliquis dicere, demonstrat Ordines minores esse verè Sacramentum, & quòd irritari non potuissent. Cum alioqui modus loquendi factorum Canonum talis sit, vt nisi aliunde constaret non posse Ordines irritari, denotare posset, intentionem Pontificum fuisse eos verè irritare.

5. Sed circa præsentem quæstionem esset minor difficultas quoad collationem primæ Tonfuræ: nam Theologi communiter asserunt, collationem primæ Tonfuræ non esse Sacramentum, cum non sit Ordo Ecclesiasticus: Ordo enim, quòd est Sacramentum Ecclesiæ, constat materia, & forma; sed Tonfura nullam habet formam, licet habeat pro materia, capillorum abscissionem: ergo Tonfura non est Ordo. Minor probatur. Nam verba illa relata in Pontificali Romano, Dominus pars hereditatis mee, sunt ceremonialia, non substantialia: quare etiam sine illorum prolatione quis fieret Clericus non tonsuratus per solam translationem illius à statu laicali ad Ecclesiasticum: quod concedunt plures Doctores.

6. Denique illud, cui conuenit definitio Ordinis, est Ordo, sed Primæ Tonfuræ non conuenit talis definitio, Ordo enim definitur, quòd sit signaculum quoddam, per quod spiritualis potestas tribuitur ordinato: sed primæ Tonfuræ initiatio nulla potestas tribuitur, cum ad nullum certum officium in Ecclesia habendum deputetur, & si ad aliquod deputaretur, non tamen ordinatur per se ad Euchariistiæ ministerium, ad quod reliqui omnes Ordines ordinantur: non igitur prima Tonfura erit Ordo, sed potius erit vt dispositio ad formam. Sicut enim in naturalibus non datur transitus ab extremo ad extremum nisi per medium, ita nec decebat laicos immediatè ad maiores Ordines promoueri,

H nisi

Ref. XLV. hic infra in 3. Ref. 80. § penult. à verbi. Quibus addo. Sup. hoc quod Tonfura non sit Ordo, in tom. 5. tr. 5. Ref. 12. § 1. à lin. 4. & in Ref. 13. § 2. à lin. 2. & in Ref. 14. cursum in fine, & in Resol. 138. Quod re. ad mediū, & ibi in tr. 3. Ref. 12. à lin. 4. & in Ref. 15. §. 4. ad lin. 3. & in Ref. 14. à lin. 10. & in fine §. penult. & vir. & hic infra in tr. 5. Ref. 14. à lin. 3. & in tr. 2. ex Ref. 80. § penult. cursum ad medium.

ANNAE  
Omnia  
TO. III. IV. V  
EL III

validitate  
ordinandi  
confirmandi  
ge doctri  
Rel. 10.  
Supra ex  
et. 19. h  
it. & Vale  
tom. 4. m  
doctriam  
et. 7. & in  
m. 1. tr. 5.  
et. 12. per  
tam.  
o. hoc lege  
Christum 4.  
Ref. 12.  
it. & 8. 2.  
C. 10. ad  
m. Ref. 12.  
§. 2.  
Sup. hoc  
ad fidem



nisi per primam tonsuram, veluti per quamdam mediam viam prius aptarentur. Unde Catechismus de Ordinis sacramento, primam Tonsuram preparationem ad Ordines vocat. Vt enim inquit, homines ad Baptismum exorcismis, ad matrimonium sponsalibus preparati solent: ita, cum tonsura capillo Deo dedicatur, tanquam aditus ad Ordinis sacramentum illis aperitur. Et ita hanc sententiam contra Canonistas tenent, vt dixi, communiter Theologi, quibus magis adhæreo, quia prima Tonsura ab antiquis Patribus, & Doctoribus non computatur inter Ordines. In Conc. Carthag. IV. Vbi singulorum Ordinum ritus præscriptus est, non recensetur inter eos prima Tonsura. Ac tandem in Concil. Trid. numerantur, ac nominantur singuli Ordines, nec tamen inter eos ponitur prima Tonsura: quia distincte, ac separatim commemoratur, tanquam præuium quid ad omnes Ordines: dicitur enim ibi *cap. 2.* Vt qui iam clericali Tonsura insigniti essent, per minores ad maiores Ordines ascenderent: & consequenter recensentur singuli Ordines descendendo à Sacerdote ad Oltiarium. Itaque planè Concilium non computat clericalem Tonsuram inter Ordines. Similiter in Pontificali Romano, non vocatur ordinatio ad primam Tonsuram, sicut vocatur ad alios dictos Ordines, Ergo, &c. Opinio tamen Canonistarum non caret probabilitate.

## RESOL. LXVI.

*An Pontifex possit dispensare, ne contactus physicus instrumentorum adhibeatur in Sacramento Ordinis.*

*Et discutitur, an contactus instrumentorum in sumendis Ordinibus sit de necessitate Sacramenti.*  
Ex part. 8. tr. 1. Ref. 40.

Sup hac dif. §. 1. **R**esolutorio huius questionis pendet ex illa difficultate, an contactus instrumentorum in sumendis Ordinibus, sit de necessitate Sacramenti? Et sententiam affirmatiuam tenet Catechismus quoadlibet. 1. q. 16. & tom. 1. opuscul. tract. 26. Victoria in summa, q. 230. & in veteri edit. q. 211. Henriquez lib. 10. de Ordine, cap. 10. Valentia disput. 9. quest. 1. punct. 5. §. quarta questio. Emmanuel Sa verb. Ordo. Aegidius Conink de Sacram. disp. 20. dub. 7. num. 7. Martinus Fornarius de Ordine, cap. 2. n. 4. Fernandez in examine moralis Theologia, part. 3. c. 11. §. 6. Faber in 4. sentent. disp. 24. q. 1. disput. 1. c. 4. num. 121. & seq. Vide à lin. 8. de sacram. Ordinis.

2. Probat Cajetanus, præcipuus huius sententiæ propugnator, quadruplici ratione.

Primo à simili. In omnibus aliis Sacramentis, si non sit physicus contactus, Sacramentum nullum est: vt si aqua baptizandum non contingat, nullus est Baptismus; quia non verificatur forma eius: Ego te abluo, & idem dicitur in Confirmatione, & Extrema-unctione: ergo simili modo idem fatendum erit in hoc Ordinis sacramento.

3. Secundo arguit ex efficacia, & veritate formæ Ordinis, in qua dicitur: Accipe hoc, aut illud, in quibus verbis imperatur contactus corporalis: si ergo contactus non fiat, veritas formæ non implebitur, & ita nullum erit Sacramentum; oportet enim, ad valorem Sacramenti veritatem formæ eius adimpleri. Porro illis verbis: Accipe, &c. imperari contactum corporalem, probat; quia non impetratur actus interior, quia Ecclesia de solis interiori-

bus non iudicat: ergo impetratur actus exterior interiori coniunctus, quo deficiente deficiet Sacramentum.

4. Tertio, si in Eucharistia, ad verificanda verba formæ: Hoc est corpus meum, requiritur contentum sub speciebus panis non solum cadere sub sensu, sed etiam esse Sacerdoti præsens; ita vt sine illis demonstrationibus sensibilibus, propter illud pronomen, hoc, nullum esset Sacramentum, ita cum Episcopus dicit, Accipe, oportet imperium istud per sensum impleri: ergo, si nullus erit contactus sensibilis, nullum etiam erit Sacramentum.

5. Quarto, non minus necessarium est ad hoc Sacramentum, quod dicitur, quam quod fit, scilicet verba inania essent, sed quod fit, nempe, impressio characteris, est omnino necessaria ad valorem huius Sacramenti: ergo etiam contactus corporalis, qui per verba exprimitur, erit omnino necessarius. Confirmatur: portectio ipsa æterna instrumentorum, quæ sunt materia Ordinis ab Episcopo facta, secundum omnes prærequiritur ad valorem huius Sacramenti: ergo & acceptio passiva corporalis, quæ fit mediante contactu, ad idem Sacramentum validandum exigitur.

6. His tamen non obstantibus, plures Doctores ego adduxi in part. 3. tract. 4. resol. 185. contrariam sequentes sententiam. Probat hæc opinio. Quia talis contactus, neque ex sensu Ecclesiæ, neque ex ratione suppositis fidei principis colligi potest.

7. Prius probatur. Concilium Florentinum solum dicit: Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane portectionem, vbi solum exigit portectionem, quæ morali iudicio potest ceteri fieri, quamvis ille, cui res porrigitur, eam physicè non tangat. Neque ex Romano Pontificali physicus contactus potest colligi tanquam necessarius; nam licet dicat: tangunt, non tamen indicat huius contactus necessitatem.

8. Posterior pars probatur. Per hoc Sacramentum traditur potestas per portectionem instrumentorum proportionatorum officio: quando autem traditur potestas, morali hominum iudicio non requiritur, vt is cui datur potestas, physicè contingat instrumenta; nam dum accedit ad acceptandum altero porrigente, censetur sufficienter acceptare, quamvis illa non tangat, vt patet in Principe, & proinde censetur potestatem recipere.

9. Confirmatur. Forma potest esse verissima: Accipe potestatem, &c. etiam subintelligendo, per hæc instrumenta, licet ordinatus non tangat instrumenta; cum ergo non constet aliunde huiusmodi contactum requiri, verius est sufficere, si instrumenta porrigantur, vt verbis formæ, significantibus certam potestatem tribui, respondeat materia, circa quam hæc potestas tribuitur.

10. Itaque dicendum est, quod contactus, qui in ordinatione prærequiritur, valde differt ab aliorum Sacramentorum contactu: nam in Baptismo, & Extrema-unctione contactus ordinatur ad determinatam actionem suscipiendi Sacramentum inferendam, puta ad abluendum, vngendum, in qua actione tota ratio Sacramenti consistit, at in ordinatione contactus solum ordinatur ad determinandam intentionem ordinantis, quæ determinatio fieri potest per hoc solum, quod Episcopus demonstrat præsentem materiam & suscipiens usum illius intelligat, & acceptet. Ergo verisimile hoc modo fuisse à Christo tale Sacramentum institutum. Et hanc sententiam præter alios tenet Albertus Magnus in 4. sent. disp. 24. artic. 38. ad 2. quam ob Magistri reuerentiam Diuus Thom. suppressio nomine retulit.

11. Nec

Quæ nunc  
inuenitur  
in tom. 2.  
tr. 5. Ref. 8.